

actionibus virtuosis reliquis proveniant: hujus ve-  
ro somnus fit inquietus & turbulentus dum in-  
defactorum per somnum memoria quasi viget.

XX.

Altera pars animæ irrationalis quamvis per se  
ratione est destituta: rectam tamen rationem au-  
dire, ejusq; sequi jussa potest.

XXI.

ὁρεκτικὴ illa appellatur in concupiscibilem &  
irascibilem divisa: quod affectus sive cupiditates  
rectæ rationis imperio sint subjiciendæ.

XXII.

In hisce namq; regendis & gubernandis do-  
ctrina Ethica maxima ex parte consumitur, ne  
modum excedant, præcepta de moribus ob ocu-  
los proponens.

XXIII.

Per se istæ animi facultas rationis erpers est:  
rationalis tamen per μέθεξις dici potest.

XXIV.

Conspicuum est id in continente & inconti-  
nente: ubi præter rectam rationem ad optima  
adhortantem, alia conspicitur præter rationem  
facultas eidem repugnans & adversans: ubi tan-  
dem recta ratio vel vincit & superat, ubi in con-  
tinate: vel ab appetitu superatur, uti in in-  
continente, ubi affectuum vehementiæ ratio tan-  
dem cedere cogitur.

B

XXV